

NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO VIRO D. D. CAROLO CANTOCLARO IN VTROQVE REGIS

Secretiori Consistorio Consiliario. R. Tulloüe, S. P. D.

QVI nuper, meæ erga te obseruantiæ monumentum aliquod tuis meritis rependere constitueram (Vir clarissime) *eccè nostræ thesis dicandæ sese obtulit occasio, longè sanè impar tantæ voluntati significandæ, sed vt ex integra animi conscientia loquar, eam non potui diutiùs apud me continere, cùm potissimè parens meus D. Portæus, tanquàm currenti calcar addens, id sæpè sæpiùs mihi præceperit, quod non ità tamen audenti fecissem animo, ni tuæ benignitati & beneuolentiæ tandiù à me expertis omninò confiderem, virtutis si quidem tuæ decus & mentis penè incredibilis præstantiam (taceo maiorum tuorum res domi ac militiæ prudenter fœliciterque gestas) cum virium mearum summa imbecillitate metiendo, ab hoc suscepto munere sic deterrebar, vt eas Vulcano Deo consecrandas satiùs, quàm omnium hominum iudicio censuræq; tra-* 521 *dendas esse duxerim. Sed tandem vitæ, quâ polles, integritas, priscæ probitatis nonnihil adhuc redolens, has in tuo tanquàm in numinum tutelarium gremio reponere facilè persuasit, tùm vt nominis mei specimen tuis auspicijs fœliciùs inauguretur, tùm vt hic ingenij mei fœtus, authoritatis tuæ clypeo tectus lucem aspicere absque Theoniorum mordacitate, & tanquàm vadum futuræ famæ tentare possit, quod futurum spero fore, si quâ, me olim, humanitate, & quotidie excipis, illum benignus accipias.* VALE.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS CONCERTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XVII. DECEMB.

MAGISTRO IOANNE MAVNOIR, DOCTORE MEDICO, MODERATORE.

An abortus ex tenesmo?

QVÆLIBET nostri corporis pars, à duobus elementis suas qualitates sortita, omni affectionũ generi obnoxia est. Similaris intemperiem, organica malam conformationem, vtráq; continui solutionem experitur. Caput cephalalgiâ, malorum, quæ corpori accidunt grauissimũ, vertigine, apoplexiâ. Cor febre, palpitatione, syncope nulli morborum acutie & periculo cedente. Hepar omnium morborum radix, atoniâ, hydrope. Stomachus, in quo fit perennis pituitæ generatio, βδελυπτία vomitúque tentatur, cur non & syncope? cui vomitus auxiliatur. Lien, renes, vesica alijs grauantur symptomatis. Vltimum intestinorum tenesmo dysenteriæ præcursore vel consectario.

INSVNT & partibus genitalibus sui peculiares morbi. Sexus discrimen alios protulit affectus. Numen in viros maiorem vim habuisse credendum: Purgatio menstrua, grauiditas, τὰ λόχια & quæ sunt eiusmodi in illos non cadunt; mulieres perpetuò affligunt, nisi naturæ merito benè constitutæ sint. Eas vterus, licet pro parte principe habitus, aliter atque aliter exercet, puerperas tamen quàm grauidas, grauidas quàm nuptas, nuptas quàm viduas, viduas quàm virgines magis; Sic & quæ nunquam peperêrunt maiore cum molestia, & celeriùs ex mensibus profluentibus afficiuntur, quàm quæ iam partum expertæ sunt.

QVALIS ille est tale & totum corpus, consortiíque lege alijs partibus dignitate & nomine præcellentibus perniciem non leuem molitur, quam ipsi tandem cum fænore retribuunt, idque apertiùs si fætum in se contineat, cuius infaustæ exclusionis facilitas tanta est, vt quauis de causa contingat, quod etiam nonnunquam accidit matris incautæ vitio, vt potè si saltet, tripudiat, graue onus gestet, cadat, timeat, Veneri & Baccho indulgeat, à pharmacis & venæ sectione non abstineat. Neque vicini eum lacessere desinunt, vti vesicæ & recti intestini fæda humorum colluuies, à quibus si aluus multùm fluat, periculum est ne abortiat.

HARVM inferioris ventris postremarum partium affectus proprius tenesmus est, nunquam per se iugulans, qui ex assidua & implacabili desidendi cupiditate, in qua nihil ferè præter mucosum quiddam & subcruentum egeritur, fœtum in grauius discrimen, quàm matrem conijcit; quod si dysenteriæ (cui, celebratâ priùs catharsi & phlebotomiâ, balnea & chalybs succurrunt) sit prænuncius, vniuersum corpus, præcipuè verò intestinum rectum & vterum fatigat, adeout ni clysmatis detergentibus & epicęrasticis citissimè vtamur, abortum minimè vitalem in lucem emitti necesse est.

SED huiusce præcocis exitus veluti querula natura, mœsticiæ suæ fideles internuncios sufficit, vt quod ab ea fieri non potest, tentet Medicus, & malum hoc omen auertat. Inter hos præsto sunt lac copiosum è mammis spontè fluens, graciles factæ de repentè mammę, (geminos ferens si dextra mamma extenuetur marem, si sinistra fœminam abortione excludit.) inopinatò denique erumpentes ab vtero saniosę, deinde loturæ carnium similes aquæ, exindè purus sanguis, postea grumi, ac demùm misellus ille cuius vita sperabilis esse nequit.

Ergo abortus ex tenesmo.

Propugnabat ROBERTVS TVLLOVE, Carnuteus. Anno 1615.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.



M. Franciscus le Sage.
M. Georgius Cornuti.
M. Guillelmus du Val, Prof. Reg.
M. Ioannes Akakia.
M. Gaspardus Brayer.
M. Nicolaus Henault.
M. Ph. Harduinus de S. Iacques, M. R.
M. Nicolaus Marchant.
M. Franciscus du Port.